

A
8



caja 2 A=9 C=5

caja
CINISA 5

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA	
— GRANADA —	
Se'a	caja 2
Estante	
Número	8

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

COPIED
FROM

COPIED
FROM

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely from the 18th or 19th century. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side of the page.]



ASSERTIONES EX THEOLOGIA, ET IVRE MISCELLANÆ, SVB HYPOTHESI, AVT problematicæ, aut recitatiuè propositæ.

Caja 2-8(3)

IN Controuersijs non exploratissimè manifestis in alterutram partem dubiè, aut ex hypothesi, aut recitatiuè dicta nullam merentur censuram, quamquam altera pars absolutè prolata eam mereretur, vt constat ex positione prima. Scèpius sic scripsit D. Thomas, præsertim cum utitur verbo *videtur*, aut alio simili metum, & formidinem ostendente, vt ait Cano lib. 8. c. 5. Sic quidam hoc sæculo scripsit, aut recitatiuè, aut dubiè tractatus sex priores libri primi de sanctissima Virgine, vsque ad paginam 176. Similia lib. 2. tract. 3. cap. 2. pag. 379. & tract. 8. pag. 442. Et in libro tertio de iustitia originaria Deiparæ, quoad intrinseca corporis tractatus primus, septimus, & nonus integrè sunt dubij, recitatiui, & suspensi: item caput 5. tractatus sexti; & caput etiam 5. tractatus decimi, & caput 1. tractatus vigesimi primi. In libro quarto integrum caput 3. 4. 7. tractatus primi, & totus tractatus quintus. Quæ omnia trecentas fere paginas dubias, problematicas, recitatiuas, & suspensas comprehendunt. Prædictus modus scribendi frequens in D. Thom. vt constat ex catalogis factis de rebus dubie dictis in summa Theologica, per Magistrum Ioannem Zabasta Ippot. Quod notat Bzouius anno 1294. *Scotus passim dubitabundus* admittit sine rubore Nitela Franciscana Dermicij Thadæi, & laudat Ordo Minorum in prohemijs editionis Antuerpiensis anni 1620. Latissimè, & scèpius approbat Grabrina 3. tomo præscript. præcipuè pag. 31. & 32. hanc dubiam, suspensam, & recitatiuam scribendi formam; quamquam non cohæret ijs quæ ab eo dicuntur pag. 263. vbi damnat quemdam authorem, quod de nonnullis effectibus iustitiæ originariæ corporum Mariæ, & Iesu quoad intrinsecas perfectiones, vt ipse ait *dubitabundè scripserit*. Nam quod ex innumeris testimonijs positionis primæ, quæ transierunt in rem iudicatam ab Ecclesia Dei, manifestum est, dubia, aut conditionalis, aut recitatiua scribendi forma, id præstat vt scripta sint libera à censura, etiam si altera pars absolutè dicta graui nota infamanda esset: dummodo id non fiat in rebus notissimis, & exploratissimis in Ecclesia Dei: quod odibile esset, & bilingue dicendi genus, in quo peccauit Erasmus. Hunc modum dubitatiuè, aut recitatiuè loquendi admittunt in Hieronymo, Ribera in 5. Micheæ, Lorin. Actor. 3. Fernandus visione 26. & frequentem esse Patribus docet Salius anno mundi 3020. & nunquam ab Ecclesia condita expurgatus est liber vllus Doctoris Catholici, qui in similibus controuersijs dubius, & suspensus scriberet.

2 Haud mirum plurima errata à prælo, ab in curia, ab hominum malitia, & à translationibus, & versionibus in scriptis antiquorum occurrere contra primitiuos ipsorum calamos, cum editio vulgata olim similia mendorum genera sustinuerit, vt latissimè expendit Sixtus Senensis lib. 8. hæref. 13. Olearius præfat. in Pentateuchum, & alij plures eiusdem instituti Prædicatorij: quibus succurrunt omnes fere Theologi, & interpretes; atque idem expressè dicitur in præfat. vulgatæ à Clemente VIII. recognitæ. Totam hanc thesifus illustrat Gretseus lib. 2. de Verbo Dei pro Bellarmino cap. 11. & egregie rem declarauit Anastasius Sinaita lib. cui titulus *via dux*, ijs verbis: *Facilius corrumpi posse scripta Patrum quam sacras literas, quod illa in peregrinas linguas non sunt conuersa. Ha autem in omnium gentium linguas translata fuerunt.*

3 Illa clausula Concilij Lateranensis sub Martino I. consult. 9. *Condemnatum qui non susceperit verbo, & mente omnes sanctas synodos, & venerabiles Patres, & cuncta quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt, & similes aliæ quæ habentur in Concilio Valentino sub Leone III. & Concilio Rom. 2. sub Zacharia I. & sæpè alibi, solum vim habent pro ijs, quæ constanter scripserunt ex communi sensu ad Catholicam Fidem pertinere; non pro alijs innumeris, quæ aut timidè, aut opinariuè, aut recitatiuè, aut sub hypothesi, aut non unanimi sensu scripta reliquerunt, aut non in rebus Theologicis, & diuinis, sed in Philosophicis, aut humanis artibus.*

4 Communis opinio est Ioannis Beriu Zaray lib. 1. excusso cap. 1. 2. 3. 4. 5. & plurimis Conciliorum, Pontificum, Patrum, & Scholasticorum testimonijs ab ipso comprobata, quod ante condemnationem doctrinarum iure diuino audiri debeant earum authores, & assertores, si pro illis ostendant pios, & graues Doctores qui in diuersis temporum, & regionum spatijs vixerunt, & post ipsos non fuerit promulgata noua Ecclesiæ definitio, aut appareat aliqua antiquis non cognita. Similiter commune est quod ibidem probat multiplici testimonio nunquam in simili casu audientiam personalem, aut per procuratorem denegatam, vel disputationem publicam, si eam authores postulauerint. Similiter certum est, & pluribus argumentis, & testimonijs comprobatū à prædicto Ioanne supra, exequendas esse tūc omnes prudentes, & necessarias diligentias ad inuestigandam veritatem ad voluntatem, & nutum authorum, quales sunt verificationes publicæ, & authentici eorum testimoniorum, quæ accusatis propositionibus auxiliantur, & consultationes Academicarum, & doctissimorum cœtuum, qui fundamenta earundem doctrinarum expendant, præsentibus grauissimis nonnullis viris, qui sint de confidentia authorum, & approbationem habeant simul à tribunalibus quibus iurisdicctio competit circa controuersias doctrinales. Pro ijs omnibus, & singulis impetrandis possunt fieri sanctè, & piè ab assertoribus doctrinarum probabilium, quæ antiquos habent Doctores, quæcūq; fecit D. Paulus Actor. 15. & 25. vt probantur, & declaratur à D. Tho. opusc. 19. c. 15. tractante qua ratione religiosi appellare queant, & munire se à violentijs, quibus læditur eorum libertas, & veritas, seque tueri auxilia Regum, & magistratum secularium imploando, & vsurpando. Nihil eorum quæ ibi memorat D. Thomas, & laudat, est iniustum, sed pium, sanctum, & iuri naturæ, diuinoque conforme. Singula ex ijs prædictus Ioan-

nes Beriu Zaray capitibus allegatis supra; & capite etiam 7. probat; idemque Magister Ioannes Zabasta Ippot per vberes catalogos excussos Conciliorum, Pontificum, Patrum, Scholasticorum, & historicorum innumeris exemplis illustrat.

5 Post damnationem iudicalem librorum etiam à Concilijs generalibus, aut sancta sede factam, si nihil singulariter, expressè, & nominatim è cathedra definitum est, sed per errorem informantium, aut finistram relationem facti, veritas obscurata est, licuit semperque licebit audientiam postulare, eaque iure diuino est debita pro singulis propositionibus quæ habent Doctores diuersorum sæculorum, & regionum; & pro illis controuersijs quæ quia nouæ sunt in neutram partem contradictionis authores tenent, vt probat Beriu Zaray supra cap. 6. & Ioannes Zabasta Ippot, testimonijs innumeris per quindecim sæcula productis suo ordine, temporumque contextu.

6 Si quis post plures plurium virorum doctissimorù consultationes certo sciat opiniones aliquas esse pluriù Doctorù, qui in diuersis sæculis, & regionibus cum pace prouinciarù eas scripserunt; aut de cõtrouersijs pro quibus in neutrà partè vlla est autoritas, aut testimonium, debet pro defensione veritatis, & seruanda propria fama in rebus fidei audientiam postulare, & omnia tentare, vt impediatur, vel reuocetur expurgatio, & prohibitio, donec veritas liquido constet; aliter est in statu damnationis æternæ; vt pluribus argumentis, & testimonijs probat supra Beriu Zaray cap. 7. 8. 9. 10. & Magister Zabasta Ippot in peculiari breuiculo de hac thesi. Neque prædicta postulata sunt irreligiosa cum scèpissimè in ijs prohibitionibus, & expurgationibus contingant errores iudiciales, & occurrant non pauca exempla librorum, qui cum à Romanis Pontificibus, & Concilijs generalibus prohibiti sunt, postea re melius examinata, eorum prohibitio, aut expurgatio cassata, & annullata est, vt constat ex innumeris, quæ per longissimas catenas testimoniorù ex Concilijs, Pontificibus, Patribus, Scholasticis, & historicis extractorum compilarunt, & publicæ luci dederunt duo prædicti authores.

7 Quod si vt accidere potest, contingat vt illegitimæ prohibitiones, aut expurgationes aliquæ librorum catholicorum, aut ex fraude, aut ex humanæ imbecillitatis ignorantia impetrentur, illæ debent reuocari, vbi primum de iniusticia constiterit, aut de non præstita debita audientia, aut de non facto præuio examine sufficienti quemadmodum probat innumeris testimonijs, & argumentis Zaray supra cap. 11.

8 Publica vox, & fama de mala doctrina scèpissimè grauissimos, & sanctissimos viros etiam Pontifices ex inuidia, æmulatione, odio, & ignorantia aliorum iniustissimè vexauit. Verum in similibus casibus non licet publico rumori assentiri, aut credere, donec audita parte veritas per sententiam innotescat, quod fufe probat innumeris exemplis adductis Ioannes Beriu Zaray lib. 1. cap. 12. & Ioannes Zabasta Ippot, facto syllabo, & catena testimoniorum per plura sæcula.

9 Nunquam licuit, aut licebit ordinarijs cõcionatoribus, & ministris Verbi Dei aliquas determinatas personas, aut status, aut familias verbis acerbis, aut asperis, aut satyricis, aut contumeliosis è pulpitis infamare; quod pluribus testimonijs Conciliorum Generalium, & Prouincialium, & Theologorum, & Summistarum, & Iuris prudentium, & regularum sacrorum Ordinum probat supra capite 13. Ioannes Beriu Zaray, à fol. 46. vsque ad 56. Exempla autem Christi, & Prophetarum nullatenus succurrunt prædictis concionatoribus cum non similem illustrationem, & extraordinariam autoritatem habeant. Si qui autem Episcopi, aut ministri verbi Euangelici, siue per singularem inspirationem, siue per feruorem nimium zeli non secundum scientiam communes regulas supergressi sunt, non debent aduocari in exemplar: vt latè ibidem probat Zaray, & Magister Zabasta Ippot in singulari tractatu etiam excusso.

10 Cartha satyrica alieni nominis laceratrix, etsi expressum habeat authoris nomen est libellus famosus, vt pluribus probat Zaray lib. 1. capite vltimo.

11 Consuetudo, & quasi lex perpetua Apostolicæ sedis fuit, quod pro damnandis libris hæreticorum, & Catholicorum in integrum, præcipuè si authores retractationem polliceantur, errores numeret, & consignet, eosque authoribus, & fautoribus postulantibus exhibeat, vt ipsi resipiscant, & reliqua Dei Ecclesia magis edoceatur: vt confirmat plurimis exemplis Zaray supra lib. 2. c. 1. & Ioannes Zabasta Ippot in longissima testimoniorum catena.

12 Nulla doctrina potest esse periculosa, quin habeat adiunctam aliquam censuram Theologicam, ex ijs quæ à Theologis numerantur. Quod si probeatur doctrinam aliquam non esse hæreticam, aut erroneam, aut sapientem hæresim, aut piarum aurium offensiuam, aut scandalosam, aut temerariam, aut seditiosam, aut iniuriosam, eo ipso probatur non esse periculosa, vt probat Zaray supra cap. 2.

13 Quod nouæ opiniones, & doctrinæ si contrariæ non sint scripturarum, aut Ecclesiæ determinationibus, aut communi Patrum, vel Theologorum consensui, nullam mereantur notam, aut censuram, sed sæpè laudem & approbationem, & quod interdum liceat antiquam opinionem non sectari, probat Ioannes Beriu Zaray lib. 2. excusso cap. 3. & 4. à fol. 62. vsque ad 73. nonagintaquinque testimonijs Patrum, Philosophorum, & Scholasticorum; & Magister Zabasta Ippot in longissimis catenis excussis Latino, & Hispano sermone, quæ pro hac thesi centum & triginta testimonia exhibent; & Sherloquijs anteloquio 4. in Cantica sect. 12. & 13. qui pro eadem positione supra quadraginta authores refert.

14 Quæ sunt in legendis Ecclesiasticis, aut hymnis, aut antiphonis, aut responsorijs non raro solam habent probabilitatem, cui possint Doctores ex alijs rationibus, & testimonijs dissentire; vt probat Zaray supra cap. 5. pluribus testimonijs, & nonnullis exemplis; & Turrianus in selectis centuria 4. dub. 25. & Catharinus libr. de certa sanctorum gloria in fine, quamquam hic postremus excedit in vehementi exaggeratione dicendi.

15 Quæ conditiones necessariae sint, vt propositio aliqua sit temeraria, aut scandalosa, aut male sonans, aut piarum aurium offensiuam, aut seditiosa, aut erronea, aut suspecta, aut hæresi proxima, aut hæresim sapiens, expen-

expendit Ioannes Beriu Zaray lib. 2. cap. 5. 6. 7. iuxta ea quæ à Suario, Turriano, Puenne Hurtado in Com-
mentarijs de fide, ex communi Theologorum sensu latius edocentur.

16 Quod docet Puente Hurtado supra tom. 1. disp. 81. inter censuras Theologicas omnium minimam esse
temerariam, certum est; & ideo sola temeritas opinandi in rebus Theologicis, si omnes alij gradus censu-
rarum absint, vt ait Suarius tomo de fide disp. 19. sect. 6. est contra virtutem studiositatis, quæ est pars tem-
perantiæ, non contra virtutem fidei, aut religionis.

17 Opinio quæ non est contra sensum Patrum, aut Doctorum, qui positivè contrarium decernât, sed nullum
habet pro se, nec contra se testimonium, si fundamento omni destituatur, improbabilis est, & non temeraria
iuxta mentem Puente Hurtado, & Ioannis Beriu Zaray supra. Si quæstio noua est, singulas circa eam opi-
niones necesse est esse nouas, vt sæpè expendit Zaray.

18 Valde periculosum est ea, quæ non sunt digna censura condemnare. Qui pertinaciter mala nota afficiunt
opiniones probabiles Doctorum, ab Ecclesia reprehenduntur, & suspecti de fide habentur, vt constat ex ca-
talogis testimoniorum productis à Ioanne Zabasta Ippot, & desumptis à Concilio Constanciensi Sixto III.
Pio V. Gregorio XIII. & innumeris alijs cum Turriano centur. 3. dub. 6.

19 Si graues, & pij Doctores diuersorum sæculorum, & regionum propositiones aliquas absolunt à censu-
ra, nullum tribunal eas potest condemnare, aut mala nota afficere præter sedem Apostolicam è cathedra
decernentem, si non euidens argumentum, aut manifesta authoritas Ecclesiæ priscis Doctoribus ignota de
nouo reperiatur. Atque in ijs, & similibus casibus, vt ait Gerson tom. 1. de examine doctrinarum considera-
tione tertia, necessario expectandum est iudicium Apostolicæ sedis. Hanc thesin pluribus testimonijs, &
documentis probat Zaray supra lib. 2. cap. 9. 10. 11. 12. 13.

19 Si propter sensum grauium Doctorum diuersorum sæculorum, & regionum probabile est aliquam pro-
positionem esse graui censura, & nota dignam; & propter alios etiam graues Doctores qui in diuersis sæcu-
lis, & prouincijs vixerunt probabile est eandem propositionem non esse censura dignam, tunc sola sancta
sedes è cathedra loquens, aut generale Concilium talem doctrinam condemnare potest; & non aliud tribu-
nal orbis terrarum, vt probat Ioannes Beriu Zaray supra cap. 13. & Zabasta Ippot in catenis, ex communi
sensu Theologorum. Inuat hanc mentem, quod ait Turrianus in centuria 2. dub. 55. non ideo imponi cen-
suram contrariæ opinioni, quod quis dicat videri sibi oppositam probabiliter esse de fide: non enim sequitur
contrariam esse hæreticam cum hæresis non sit contra priuati hominis opinionem. Quod additamentum
Aegidius à Præsentatione in libris de conceptione, & plures alij approbant.

20 Si propositiones nouæ, & singulares sunt purè Philosophicæ non possunt notari mala censura Theologi-
ca, vt probat Turrianus in selectis centuria 4. dub. 8. Ioannes Beriu Zaray lib. 2. cap. 5. & cap. ultimo §. 7.
fol. 111. Suar. disp. 19. de fide sect. 2. Canus lib. 7. cap. 3. Bannez 1. p. q. 1. art. 8. & innumeri alij cum August. 5.
confess. D. Thom. opusc. 10. quorum copiosam catenam compilauit Ioannes Zabasta Ippot, cum Grabrina
tom. 3. præscriptionum parte 1. pag. 20. vbi omnes Philosophicas controuersias speculatiuas numerat inter
quæstiones impertinentes ad fidem. Oportet sæpè Philosophica Theologos pertractare sic Hieron. episto-
ad Magnum pluribus documentis, ita faciendum esse persuadet: imò Cyprianum reprehensum, ait quod ad-
uersus Demetrianum scripturarum, non Philosophorum, & Poetarum testimonijs responderet. Origenes
Porphirio: Methodius, Eusebius, Apollinarius, Celso; Iosephus Appioni Grammatico sæpissimè ex Philo-
sophiæ principijs respondebant.

21 Dominus Ioannes Alvarez de Caldas occasione quarundam assertionum Complutensis Academiæ, de
quibus simul in Romana curia, & in Hispania causa fuerat inchoata, syllabum, seu breuiculum fecit literarum
Apostolicarum circa iurisdictionem Inquisitionis Hispaniæ, pro informâdo Catholico Rege Philippo III.
anno 1602. & eundem syllabum prout est in monumentis Consilij status regij breuissimè perstringemus.
Innocentius VIII. tres literas expediuit anno 1485. & 1486. in quibus dicitur generali Inquisitori pro
causis fidei Hispanorum, non ad nos. seu sedem Apostolicam, sed ad te debeat appellari. Alexander VI. anno
1494. superiores literas confirmat, & ampliat, vt intelligantur de quibuscumque causis, & negocijs officium
Inquisitionis concernentibus cum illorum dependentijs, & emergentijs. Iulius II. anno 1507. & Leo X.
anno 1518. & Adrianus VI. anno 1523. eisdem fere verbis superiores literas confirmarunt. Clemens VII.
anno 1524. & iterum anno 1529. & Paulus III. anno 1539. omnes anteriores prædecessorum Bullas re-
petunt, & confirmant. Singulare illud est quod Paulus III. anno 1544. postquam primus omnium erexerat
Inquisitionem Romanam, dicat in quibusdam literis Apostolicis sub iuramento in verbo Romani Pontifi-
cis se nihil innouare, aut immutare voluisse de iuribus antiquis Inquisitionis Hispaniæ propter erectionem
Romani Inquisitionis quam biennio ante fundauerat. Iulius III. anno 1551. omnes supra relatas literas
Apostolicas denuo firmat, & extendit ad quascumque causas quoquomodo pertinentes ad Inquisitionem
Hispaniæ. Gregorius XIII. anno 1572. sigillatim prædictorum omnium Breuium mentionem facit, &
omnia in ipsis contenta denuo firmat. Similia sunt quæ habentur in literis Clementis VIII. anno 1596. &
anno 1599. & expressè subdit, vt prædictæ litteræ ad ea omnia extendantur de quibus cognoscere solita est
Inquisitio Hispana siue de iure, siue de consuetudine. Addit prædictus D. Ioannes Alvarez de Caldas alias
litteras Apostolicas ad probandum subrepticias fuisse literas, quæ contra fautores assertionum Compluten-
sium emanarunt è Romana curia. Nam Alexander VI. anno 1498. expediuit literas declarantes non esse
acceptandas veluti subrepticias Bullas quaslibet in quibus aliquid contineatur aduersus iura Inquisitionis
Hispaniæ. Similes alias dedit pro declaranda hac subreptione Clem. VII. anno 1524. & addidit nisi forsan
consenserint Reges Catholici. Sixtus V. in erectione quindecim Congregationum, ait se nihil immutare velle
de iuribus Inquisitionis Hispaniæ; vt propterea si in simili causa siue impressarum conclusionum, siue edito-
rum librorum in Hispania, siue aliarum delationum ad huiusmodi officium Inquisitionis pertinentium litteræ

*Num. 20 concluduntur quæcumque dicta sunt doctrinaliter pro consuetudine ex ma-
gatione librorum inapologij
Num. 21 et 22. positi in hac pag. 35. et 36. pro parte sequenti continetur iuris
dictionalia quæ agunt sub Romana Curia.*

quæcunq[ue] in Romana Curia aduersus Hispanum quemlibet impetrarentur, veluti subrepticæ acceptandæ non essent. Tandem prædictus D. Ioannes Alvarez de Caldas plures literas Apostolicas compilauit, ex quarum iam olim Inquisitio Hispana, de quibuscumque libris scriptis, aut impressis, & de quibuscumque propositionibus, & assertionibus cognoscit. Paulus III. anno 1539. specificat causam librorum cognoscendorum vt propriam Hispanæ Inquisitionis in suo territorio; Iulius III. semel anno 1550. & iterum anno 1554. Paulus IV. semel anno 1558. & iterum per alias literas anno 1559. & iterum per alias anno 1560. Pius V. anno 1564. & Gregor. XIII. anno 1572. Non pauca ex literis Apostolicis relatis sunt in antiquissimis expurgatorijs Hispaniæ, aut referuntur à Iacobo Castellano in compendio fol. 57. 62. 70. 92. 137. aut ponuntur in Bullario magno; alia verò ex monumentis regijs constant, & ex arcanis tabularijs, tum Consilij status, tum Senatus Inquisitionis supremæ, quemadmodum liquet ex prædicto syllabo, aut breuiculo D. Ioannis Alvarez de Caldas primùm in supremo Inquisitionis Senatu Decano, deinde Episcopo Ouetensi, tandem Abulensi.

22 Cum Sixtus V. anno 1587. quindecim congregationes erexisset quarum septima est pro indice librorum prohibendõrum, aut expurgandorum; addidit quasdam declarationes anno 1588. die vndecima Maij ijs verbis. *Prima est quod si ante inchoatum iudicium coram aliquo iudice pars coram congregatione conuenta renuerit in illam consentire, & noluerit causam à congregatione terminari, tunc ad iudicem competentem remittatur. Voluit sancta sedes, vt nemo nolens ad iudicium earum congregationum traheretur, si iudicem competentem haberet. Additur deinde secunda declaratio ijs verbis. Quod si coram aliquo iudice inchoatum fuerit iudicium, & deinde partes concordem congregationem aduerint, tunc congregatio causam decidat, & acta ad se transportari faciat. Quæ omnia à sede Apostolica matura consideratione emanarunt.*


23 Quod possint esse Doctores, & Prophetæ, & operatores virtutum sine interiori gratia, & amicitia Dei manifestum est apud Theologos qui tractant de gratijs gratis datis. Supremus gradus Doctorum est in Prophetis, & tamen hos esse posse inimicos Dei, & ab eius gratia auersos, docet Aug. tract. 49. in Ioan. Chryf. hom. 25. in Matth. S. Hieronymus, Eutymius, Theoph. Lyra, Mald. in 7. Matth. Abulensi ibidem q. 32. 33. 34. S. Gregor. 27. moralium cap. 1. dicens Eliu amicum Iob cum vir esset arrogans prophetia donatum, Saulem quoque Principem iniquum. S. Max. hom. 3. de Epiph. Cyp. de vnitae Ecclesiæ. Ambr. & Ansel. 1. Cor. 13. S. Tho. 2. 2. q. 172. art. 4. & 6. Caiet. ibidem, Dur. in prologo sententiar. Bellarm. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. Lorin. proleg. in Eccles. cap. 2. Salm. tom. 2. in Euang. tract. 19. Tannerus de fide disp. 1. q. 7. dub. 6. & innumeri alij. Extra cõtrouersiam est Doctores, & Prophetas Ecclesiæ, & in Ecclesia reperiri posse, sicut & alios gratias alias gratis datas habentes sine gratia habituali, & amicitia Dei.

24 Expendenda sunt illa verba S. Gregorij cum loquitur de commentarijs suis in libros Regum, vbi hæc ait. *Patres venerabiles si seriatim cuncta exponerent, quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis quam tenere visi sunt obseruare nequaquam possent; dum igitur sanctorum Patrum intellectus prætereo, necessitate aliquando commoditate vtor.* Similia scribunt Saucius proleg. 7. in Cant. num. 20. Delrius cap. 3. Isag. Ghilierini initio expositionis literæ ad cap. 3. Cant.

25 Quod scribit Sherloquius anteloquio 1. ex Cano, Martinez, Pererio, & alijs quomodo, & quando in controuersijs extra fidem liceat discedere à pluribus Doctoribus: & quod illustrat varijs testimonijs anteloq. 4. num. 98. & 112. probans cum debita honorificentia licere ab illis discedere, & maiori factioni Doctorum posse contradicij; & quod addit hæreticorum existimationem esse deposteris Doctoribus, solum quia nouiores male sentire, pluribus testimonijs confirmat Ioannes Berni Zaray lib. 2. per nonnulla capita, & Magister Ioannes Zabasta Ippot in catenis de his thesibus.

26 Nulla est labe, quod Doctores graues alios grauissimos abbrevient, aut plura ipsorum monumenta partim inmutata in suis numerent: neque hoc plagij vitium est si cum debita gratitudine, & humilitate contingat. Sic Hieron. in exordio lib. 1. contra Rufinum, ait Ambr. Hilarium, & Marinum Victorinũ plurima ex Origene transcripsisse; & prohemio in Micheam alios refert, qui ex alijs plura desumpserunt. Certè Bedæ, Eutherius, Haymo, Strabus, Rabanus, Sedulius, Eutymius, Isidorus, Victor Antiochenus, Titus Bostrensis abbreviatores sunt Augustini in scripturâ: Theophylactus, & Theodoretus abbreviatores sunt Chrysostomi: Lyra plura transcribit ex Hieronymo, & ex vtroque plurima Dionysius: propterea nullatenus esset dicendus Angelicus Doctor plagiarium, vt vult & probat Grabrina tom. 3. præscriptionum, quamquam verum esset, quod aiunt nonnulli cum Francisco Garcia ex instituto Prædicatorio apertissimum esse, mutasse ipsum ex Vincentio Burgundo ferme omnia quæ in duobus codicibus de vitijs, & virtutibus scripta reliquit. ¶ Collegiũ Vedastinum Duacense S. Benedicti in prologo, & examine Bellarminij ante nouissimã editionem operum Vincentij dicit à D. Tho. in iuuentute compositam fuisse summam Theologicam. Opinio hæc Collegij Benedictini, quam hoc sæculo tenuerunt nonnulli, si eligatur, illud efficiet, vt non sit postrema sententia S. Thomæ circa conceptionem Virginis, ea quã 3. p. scriptam reliquit, sed opposita in qua Mariã ab originaria labe eximit. ¶ Martinez Cantapratensis prohemio in lib. 6. Hypotyposeon, hæc ait *Thomas sequidem, Bonauentura, Alensis, & eius generis ceteri quorum institutum fuit, quæ sancti Patres sparsim tradiderunt in locos communes conficere, quid aliud fecerunt, nisi Augustini, Dionysij, & Aristotelis pulcherrimum vomitum in uno vase concludere.* Hæc si ita sunt Theologia est Florilegium Patrum, neq; alleviat dignitatem Scholasticorum, quod magna ex parte summarium sint sanctorum Doctorum. Quando vero testimonia quæ impulerunt antiquos Scholasticos ad vnam mentem, constat progressu temporum, aut vitiata esse, aut male traducta, licet oppositam mentem lectari. Similiter si grauiora alia testimonia, de nouo comparant antiquis non cognita.

Numer. 23. 24. 25. 26. deserviunt pro libo quarto elucidarij ingubus eadem propositiones mala censura notantur.





Propositiones

10

10



55



CAJA
2-8